

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (23)

4.9.5. De visitatione canonica anni 1921¹ deque eius effectu

Sicuti iam commemoratum est,¹ Superiores Congregationis putaverunt visitationem canonicam archiabbatiae Ottiliensis esse necessariam, quam facturum esse episcopum Thomam Spreiter iidem inter se convenerant. Tamen propter Congregationis condiciones internas et propter indoles responsalium etiam haec res non sine difficultatibus quibusdam progressa est.

Unā ex parte Thomas Spreiter hoc munus visitationis non illibenter suscepisse videtur, cum in initio adhuc putaret se «scopis ferreis everrere» atque omnes condiciones vigentes mutare posse,² alterā ex parte etiam scivit hōc officium sibi impositum haud facile fore.

Nam cum visitatione etiam quadamtenus cohaerebat sors futura archiabbatis. Idem enim, cum non iam paratus esset suā sponte ab munere se abdicare, decretum conventūs sui inter visitationem prolatum desideravit, utrum sibi manendum esset an monachi alium abbatem habere vellent.³ Putaverat autem maiorem partem monachorum ipsum retinere nolle. Tamen talem cogitationem, quā conventus monasterialis de muneris abdicatione archiabbatis decerneret, ipse Abbas Primas vehementer respuit existimans hōc fieri nullo modo licere, cum sic auctoritas in perpetuum afficeretur et causa esset, quā semen mortiferum abbatiae insereretur.⁴ Haec res Abbati Primati erat magni momenti secundum sententiam: «Principiis obsta.»

1 Cfr supra cap. 4.9.4.

2 Sic etiam cogitavit Bonifatius Sauer, qui in epistolā die 22 m. Iul. a. 1921 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.19) gaudium suum protulit munus visitoris Thomae Spreiter traditum esse et scripsit se sperare fore, ut episcopus rem singularum factionum atque condiciones demagogorum finiret. Nonnullos ab ipso aperte monendos esse, ut aut Congregationem relinquerent aut apto modo se gererent.

3 Cfr Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2005, p. 120, qui hōc in conexū epistolam in archivo Sancti Anselmi asservatam affert, quam Norbertus Weber die 2 m. Sept. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen direxerat. Cfr etiam Godfrey SIEBER: The Benedictines of Inkamana. St. Ottilien 1995, p. 54. - Hanc opinionem archiabbatis, quam idem erga Abbatem Primatem protulerat, etiam commemoravit Fidelis von Stotzingen in epistolā die 12 m. Sept. a. 1921 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.4).

4 Cfr epistula Fidelis von Stotzingen die 12 m. Sept. a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.4).

Sed tota condicio magis intricata erat. Congregatio Religiosorum die 28^o m. Iun. a. 1921^o scripto modo officialiter permisit, ut episcopus Thomas Spreiter visitationem canonicam archiabbatiae Ottiliensis exanclaret.⁵ Tamen Thomae Spreiter quaestio de sententiā quādam, quae in illo scripto inveniebatur, exorta est, quam et ad Norbertum Weber et ad Abbatem Primatem direxit.⁶ Ibīdem enim legitur visitationem esse instituendam «*ita tamen ut in visitatione Archiabbatiae nihil decernatur nisi auditis duobus Visitoribus, servatisque ceteris de iure servandis.*»⁷ Quamvis haec sententia videretur satis clara,⁸ Thomas Spreiter nesciverat, quomodo eam omnino perciperet. Nam unā ex parte timuit, ne in visitando auctoritas suā minueretur, si scriptum Vaticanum in archiabbatiā divulgaretur,⁹ alterā ex parte dixit se gaudere non sibi soli in rebus decernendis responsalitatē impositam esse.

Sed alia condicio praeterea erat maioris momenti. Nam scopus Thomae Spreiter erat in eo, ut régimen archiabbatiae mutaretur, non quidem quoad formam, sed quoad personam, id est ut archiabbas Norbertus Weber munere se abdicaret. Sed propter disputationes, archiabbatis actiones (vel potius actiones, quas non fecit), opinionem Abbatis Primatis aliasque vicissitudines¹⁰ episcopus Thomas Spreiter decursū temporis de bono effectū, id est de effectū secundum scopum suum, magis magisque dubitare coepit. Res enim non ita cucurrerunt, ut ipse praedisposuerat.

Medio mense Iulio Thomas Spreiter iam indicaverat visitationem canonicam

5 Cfr scriptum circulare Thomae Spreiter die 18 m. Iul. a. 1921 datum (ASO, A.3.4.4). - Hanc permissionem atque diem, quo data est, Thomas Spreiter etiam commemoravit in epistolā die 22 m. Iul. a. 1921 ad Norbertum Weber directā (ASO, Z.3.0.1.5).

6 Cfr Thomae Spreiter epistolae die 22 m. Iul. a. 1921 ad Norbertum Weber (ASO, Z.3.0.1.5) et die 13 m. Aug. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen (ASO, Z.3.0.1.4) directae.

7 Textus originaliter Latinus secundum epistolam die 22 m. Iul. a. 1921 ad Norbertum Weber directam (ASO, Z.3.0.1.5).

8 Intellegitur autem Congregationem Religiosorum hanc reservationem inseruisse, cum Thomas Spreiter, qui non esset abbas Congregationis, visitationem exhiberet et ceteroquin duo visitatores regulares exstarent.

9 Norbertus Weber in epistolā die 6 m. Aug. a. 1921 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.5) scripsit decretum visitationis in aliis monasteriis Congregationis non esse divulgandum (etiāsi Dominicus Enshoff hoc postulavisset), quia visitatio solum ad ipsam archiabbatiam spectaret. Ceterum Thomam Spreiter decretum immediate ante initium visitationis in archiabbatia coram omnibus praesentibus ipsum praelegere posse.

10 Cfr supra cap. 4.9.4.

die 2^o m. Sept. a. 1921^o incohatum iri,¹¹ sed medio mense Augusto ad Abbatem Primatem se convertit, a quo exspectavit, ut ipsum in problematis solvendis adiuvaret.¹² In epistolā suā enim Thomas Spreiter Abbatem Primatem de modo progrediendi interrogavit¹³ quinque quaestiones ei proponens, quae quidem ad res generaliter decernendas spectabant, quibus vero episcopus imprimis resignationem archiabbatis ante oculos habuit. Quaesivit autem, 1) utrum praesertim ratione adhibitā sibi decernendum esset, 2) an potius cor atque pietatem interrogaret, 3) num perturbationem momentaneam atque sermones externi sibi timendi essent, 4) num imprimis salus communis sibi respicienda esset, 5) num personae certae dimitti possent et tantummodo ipsa res valeret.¹⁴

Satis celeriter Abbas Primas ad has quaestiones respondit,¹⁵ tamen totum conexum satis caute tractavit. Intellexit quidem Abbas Primas curas atque difficultates episcopi, cum hoc munus esset maximi momenti non solum pro ipsā archiabbatiā, sed etiam pro totā Congregatione. Sed ad quaestiones respondit hunc in modum: 1) Rationem ipsam poscere, ut in rebus decernendis etiam cor interrogemus atque pietatem debitam respiceremus. Tamen esse mendum ex imbecillitate sensūs incertos sequi atque mandata rationis negligere. 2) Perturbationem momentaneam atque sermones externos, quantum fieri posset, vitandos esse. Tamen tales sermones praetermitti posse, cum decreta quaedam necessario facienda essent, ex quibus tales sermones fortasse exorirentur. 3) Sine dubio bonum commune bono privato praefendum esse, quā de causā idem praesertim curae esse deberet. 4) Quod attinet ad

11 *Cfr* scriptum circulare Thomae Spreiter die 18 m. Iul. a. 1921 datum (ASO, A.3.4.4). - *Cfr* etiam Thomae Spreiter epistula die 22 m. Iul. a. 1921 ad Norbertum Weber directa (ASO, Z.3.0.1.5).

12 *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 13 m. Aug. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen data (ASO, Z.3.0.1.4). - *Cfr* de hac re etiam Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 120 sq.; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.): Beständigkeit und Sendung. St. Ottilien 2003, p. 156.

13 Ceterum episcopus rettulit sibi suasum esse, ut facultatem sibi acquireret, quā nonnullos ex monachis non contentis statim dimittere liceret, cum aliter de bono effectū sperari non posset.

14 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 120 certe recte suspicatur Thomam Spreiter his quaestionibus modo contacto experiri voluisse, quomodo Abbas Primas episcopi decretum contra archiabbatem perciperet.

15 *Cfr* Fidelis von Stotzingen epistula die 21 m. Aug. a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.4).

respectum singulis debitum, tantummodo secundum principia commemorata idem valere posse. Tamen interdum rem ipsam respectum personae debitum postulare.

Haec autem responsa Abbatis Primatis Thomae Spreiter auxilio esse non potuerunt, quia eadem neque satis exacta neque satis clara erant et via, quam denique sequi vellet, episcopo visitatori relicta est. Tamen eadem in epistulā Abbas Primas quasdam condiciones sine dubio valere expressis verbis protulit. Nam scripsit, quod attineret ad resignationem, Thomam Spreiter muneris abdicationem archiabbei tantummodo suadere posse, quod vero consilium aliis non esset divulgandum. Nullo autem modo esse ius visitatoris, quo resignationem iubere ei liceret.¹⁶ Ceterum omnibus in rebus discernendis respiciendum esse, ut auctoritas Superiorum servaretur.¹⁷

Sed iam unā septimanā post dubitationes atque difficultates Thomae Spreiter ad visitationem spectantes auctae sunt. Nam interea magis magisque apparuerat Norbertum Weber resignationem suam non iam revera omni modo desiderare.¹⁸ Cum Thomas Spreiter itaque propter tales condiciones et propter archiabbei «instabilitatem», quam appellavit, timeret, ne in futurum quicquam mutaretur, putavit visitationem esse sine sensū et fore sine effectū.¹⁹ Eā de causā problemata Abbati Primati communicavit.²⁰ Thomae Spreiter praesertim agebatur de indole atque imbecillitate archiabbei, quae condiciones - ut putavit - non iam mutari possent, sed e contrario auferentur, sicuti decursū annorum monstratum esset. Tamen aliquam mutationem omnimodo necessariam esse. Et in postscripto, quod postmeridiano tempore eiusdem diei composuit,²¹ subiunxit sive omnia manere, ut essent, sive muta-

16 Ceterum hōc in conexū Fidelis von Stotzingen etiam ad quaestionem, quae ad «visitatores audiendos» spectabat, respondit scribens illam sententiam omnimodo respiciendam esse.

17 Etiam si hōc locō Abbas Primas numerum pluralem adhibuit, Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 120 sq. verisimiliter recte putat eundem imprimis de archiabbe cogitavisse.

18 *Cfr* supra cap. 4.9.4.

19 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 121 scribit Thomam Spreiter immediate ante visitationem adhuc putavisse archiabbatem revera resignaturum esse, ut ex episcopi epistulis die 26^o m. Aug. a. 1921^o et die 31^o m. Aug. a. 1921^o datis appareret. Sed ipsi textūs epistularum meā quidem sententiā talem conclusionem trahi non sinunt.

20 *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 26 m. Aug. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.3.0.1.4).

21 Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 157 in textū suō hoc postscriptum attribuit epistulae die 31 m. Aug. a. 1921 datae, in adnotatione tamen indicans agi de epistula diei 21 m. Iun. a. 1921. Sed utrumque

tionem systematis fieri debere, quae necessario cum mutatione personae coniuncta esset. Hoc dilemma sibi esse horroni, quia in fine verisimiliter ipse esset, qui voto suo resignationem definitive instigare deberet. Se hoc munus timere, sed se rationaliter scire solutionem efficiendam esse. Tamquam conclusionem Abbati Primati etiam significavit se iam in eo esse, ut visitationem ultimo temporis momento repudiaret.²² Cum tempus ante visitationis initium iam constitutum urgeret, episcopus Abbatem Primatem rogavit, ut quam celerrime ipsi ad has deliberationes difficultatesque responderet. Revera iam duobus diebus post Abbas Primas responsum suum misit,²³ quo episcopum urgenter rogavit, ut visitationem omni modo faceret. Nam postquam Sanctae Sedis mandatum officiale ad visitationem exhibendam accepit, Romae pessime perciperetur, si visitatio denique non fieret. Etiam in ipsa Congregatione Ottiliensi perturbationes magnas exoriturus esse, si Thomas Spreiter illo temporis momento se reciperet.²⁴

Etiam si Thomas Spreiter problemata, quae iterum iterumque enumeravit, ipse certe hunc in modum percepit, tamen aliquatenus dubito, num idem revera munus visitoris deponere voluerit. Talis enim actio cum eius indole non congruit. Tamen immediate ante initium visitationis novas causas querendi habuit, de quibus Abbati Primati rettulit.²⁵ Nam Petrus Wachter, secretarius archiabbatis, petitionem circumdedit, qua rogabatur, ne Norbertus Weber a munere se abdicaret, et quam omnes monachos subscribere voluit.²⁶ Cum Thomas Spreiter de hac re certior factus esset, hanc actionem interdixit, quia

non convenit.

- 22 Hanc epistulam atque deliberationem suam Thomas Spreiter etiam in diario suo (26.8.1921) (ASO, A.1.8.1) commemoravit.
- 23 *Cfr* Fidelis von Stotzingen epistula die 28 m. Aug. a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.4). - Hanc epistulam Thomas Spreiter etiam commemoravit in diario suo (31.8.1921) (ASO, A.1.8.1). - Cum Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 127 scribat hoc responsum exspectatum non celerrime allatum esse atque Thomam Spreiter eā de causā die 31^o m. Aug. a. 1921 in quaestionem instituisse, videtur ei epistula Abbatis Primatis die 28 m. Aug. a. 1921 data non innotuisse.
- 24 Ceterum Abbas Primas hōc in conexū iteravit non agi de decreto ex auctoritate faciendo, sed de consilio dando, quod tamen alicuius momenti esset.
- 25 *Cfr* Thomae Spreiter epistula die 31 m. Aug. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen data (ASO, Z.3.0.1.4).
- 26 Hanc actionem et responsum suum Thomas Spreiter etiam in diario suo (28.8.1921) (ASO, A.1.8.1) commemoravit. - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 123.

eādem novas perturbationes evocarentur et quia ipse actione continuatā visitationem non iam facere posset. Petitio deinde etiam retracta est.²⁷

Sed eādem in epistolā Thomas Spreiter iterum de visitationis difficultate quādam egit, quae cum indole Norberti Weber cohaerebat. Nam scripsit sibi gravissimum esse, quod archiabbatem de tot rebus, quibus nihil factum esset, interrogare cogeretur. Imprimis eā de causā talem condicionem esse molestissimam, quia archiabbas tunc sicut peccator ante ipsum sessurum atque taciturnum esset. Eum enim esse maxime sensibilem atque eum iam in antecessum aegrotare.²⁸ Cur autem Thomas Spreiter Abbati Primati talem imaginem Norberti Weber denuo depinxerit, fortasse solum intellegitur, cum cogitemus eum iterum demonstrare voluisse archiabbatem ad munus suum exanclandum non esse aptum.²⁹

Post tot difficultates praevias ipsa visitatio canonica - sicut annuntiatum erat - die 2^o m. Sept. a. 1921^o postmeridiano tempore officialiter incohata est.³⁰ Colloquia interrogatoria cum singulis monachis deinde ab die insequenti instituebantur³¹ et decursū temporis etiam aedificia, ecclesia, opificinae, stabula inspiciebantur. Die 14^o m. Sept. a. 1921^o Thomas Spreiter visitationis colloquium officiale cum archiabbate habuit, et deinde confiteri debuit rem bene peractam esse.³² Etiamsi in colloquiis cum monachis habitis apparuit diversos greges conventūs exstare et variae querimoniae de archiabbate prolatae sunt, tamen suffragio secreto maior pars conventūs exoptavit, ut Norbertus Weber munus suum retineret.³³

27 Videtur etiam Prior P. Martinus Malter hanc actionem supprimendam curavisse.

28 Hanc partem epistolae die 31 m. Aug. a. 1921 datae etiam exhibent Johannes MAHR: *Erzabt Norbert Weber*. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 157; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 121, qui tamen hunc textum per errorem epistolae diei 26 m. Aug. a. 1921 adscribit.

29 Abbati Primati hanc partem epistolae non ita placuisse etiam suspicatur Cyrill SCHÄFER (2005), p. 121.

30 *Cfr* Thomae Spreiter diarium (2.9.1921) (ASO, A.1.8.1).

31 Iam in antecessum Thomas Spreiter cum nonnullis monachis, qui tempore visitationis non adfuturi erant, collocutus est. - *Cfr* Thomae Spreiter diarium 10.8.1921, 13.8.1921, 28.8.1921, 1.9.1921 (ASO, A.1.8.1).

32 *Cfr* Thomae Spreiter diarium (14.9.1921) (ASO, A.1.8.1). - Hōc evēnit contra eius expectationem, quam in epistolā die 31 m. Aug. a. 1921 ad Abbatem Primatem directā protulerat.

33 *Cfr* Cyrill SCHÄFER (2005), p. 123.

Die autem 17^o m. Sept. a. 1921^o, cum visitatio adhuc perageretur, Thomas Spreiter Abbatem Primate[m] Augustae Vindelicum convēnit, ut consultationes instituerent, quae imprimis ad resignationem archiabbatis spectabant.³⁴ His consultationibus Abbas Primas opinionem suam iam explicuit vigorem archiabbatis omni modo amplificandum esse, ut - quantum fieri posset - eius resignatio impediretur.³⁵ Paucis diebus post, id est die 30^o m. Sept. a. 1921^o, Abbas Primas Tutzingae colloquium cum ipso Norberto Weber habuit.³⁶ Illo colloquio «*de omnibus rebus*» sermo factus est, ut Abbas Primas rettulit, et archiabbas omnia, quae temporibus praeteritis male cesserunt, intellexit³⁷ firmiter promittens se in futurum aliter acturum esse.³⁸ Itaque Abbati Primate[m] persuasum erat Norberto Weber esse «*vim physicam psychicamque, quā animum colligeret atque novā energiā régime[n] in manūs susciperet.*»³⁹ Conclusio autem erat in eo, ut Abbas Primas resignationem archiabbatis definitive sibi dissuadendum esse putaret.⁴⁰ Hōc votō Abbatis Primatis quaestio resignationis illā vice finita esse videtur, id quod Thomas Spreiter quōque - saltem quod attinebat ad actiones officiales - intellexit.

34 *Cfr* Thomae Spreiter diarium (17.9.1921) (ASO, A.1.8.1). - Ipse Abbas Primas talem conventum desideraverat. *Cfr* Fidelis von Stotzingen epistula die 12 m. Sept. a. 1921 ad Thomam Spreiter data (ASO, Z.3.0.1.4).

35 *Cfr* Thomae Spreiter diarium (17.9.1921) (ASO, A.1.8.1). - Tamen propositum est, ut in relatione visitationis de resignatione nihil diceretur. - *Cfr* etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 123.

36 De hōc colloquiō Fidelis von Stotzingen rettulit in epistulā die 30 m. Sept. a. 1921 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.4). - Hunc conexum breviter commemorat Godfrey SIEBER (1995), p. 54.

37 Scitū dignum est Abbatem Primate[m] subiunxisse sibi quaedam falso modo narrata esse, quae Norbertus Weber omnino sufficienter explicare valuisset. - Tamen Abbas Primas non scripsit, de quibus rebus actum esset neque quis falsa narravisset.

38 Abbas Primas praeterea nonnulla proposita protulit, quibus bona voluntas archiabbatis ad effectum adduci posset. Nam dixit unā ex parte Norberto Weber interdum recreationis tempus complurium septimanarum concedendum esse, alterā ex parte necessarium esse, ut archiabbas sustentaretur ab officialibus, qui eum bene intellegerent et quibus confideret. - Quod autem Norbertus Weber illo in colloquio se modum agendi suum mutaturum esse promisit, mihi videtur significare eum revera non iam serio de muneris abdicatione cogitavisse.

39 *Cfr* Fidelis von Stotzingen epistula die 30 m. Sept. a. 1921 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.4). - Textus originaliter Theodiscus.

40 *Cfr* Fidelis von Stotzingen epistula die 30 m. Sept. a. 1921 ad Thomam Spreiter directā (ASO, Z.3.0.1.4). - Hoc consilium Abbatis Primatis etiam Thomas Spreiter in diario suo (4.10.1921) (ASO, A.1.8.1) commemoravit.

Ipsa autem visitatio canonica sine difficultatibus atque sine perturbationibus progrediebatur. Tamen, quia cum tot hominibus colloquia instituenda erant et tot res inspiciendae respiciendaeque erant, omnia satis lente transacta sunt.⁴¹ Denique die 26^o m. Oct. a. 1921^o visitatio canonica officialiter finita erat, cum ipse visitator relationem suam praelegeret.⁴²

Ipsa relatio satis longa est scitū digna atque hōc in conexū magni momenti.⁴³ Itaque paulo fusius in eam incumbere volumus.⁴⁴ Primo Thomas Spreiter quaedam verba introductoria fecit difficiles condiciones mundanas inde ex anno 1918^o vigentes commemorans, quae in monasterium quōque effectūs suos exseruerunt. Itaque - ut scripsit - visitatio unā ex parte imaginem descensūs atque imaginem certandi praebuit, alterā ex parte tamen non esse causam cunctandi timendique, cum ipsi Deo ducente iam ex multis difficultatibus evasisent. Etiamsi difficultates adhuc vigerent, in summā spiritum omnium esse bonum. Tamen problema esse in eo, quod unusquisque quidem optimum quodque vellet, sed singuli in viis methodisque ad optimum perpetrandum seiuncti essent. Hac in re ergo bonam voluntatem omnium esse necessariam ad viam intermediam inveniendam. Hōc in conexū Thomas Spreiter in mentem revocavit omnes esse participes unius eiusdemque familiae monasterialis et hanc condicionem cum corpore, eius capite eiusque organis, quae omnia indissolubiler cohaerent, comparavit. Itaque sensum communitatis magis exercendum atque respiciendum esse.⁴⁵ Et subiunxit

41 His ex causis Thomas Spreiter iam ante initium putavit visitationem diutius duraturam esse. - *Cfr* Thomae Spreiter epistolam die 31 m. Aug. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directam (ASO, Z.3.0.1.4).

42 *Cfr* notitia Thomae Spreiter in diario suo (26.10.1921) (ASO, A.1.8.1). - *Cfr* Godfrey SIEBER (1995), p. 54; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 157; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 123.

Antequam relatio praelecta est, Thomas Spreiter eam ad visitatores regulares miserat eos de opinione ipsorum interrogans et etiam compluries cum Norberto Weber de textū disputaverat. - *Cfr* Thomae Spreiter diarium (8.10.1921, 16.10.1921, 22.10.1921, 23.10.1921) (ASO, A.1.8.1); Thomae Spreiter epistula die 15 m. Nov. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.3.0.1.4).

43 Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 157; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 123 hanc relationem breviter commemorant. Uterque autem scribit ibīdem nihil fundamentale proferri.

44 *Cfr* Thomas SPREITER: Rezeß der kanonischen Visitation der Erzabtei St. Ottilien und der von ihr abhängigen Häuser im September und Oktober des Jahres 1921 (ASO, A.3.3.4).

45 *Cfr* Thomas SPREITER: Visitationsrezeß 1921, p. 2 (ASO, A.3.3.4).

haec: «*Si, uti iam breviter indicatum est, studium atque zelum, quod iam saepe in pugna contra alios et eorum vitia, quae putantur, adhibuimus, in menda nostra propria convertissemus, proprius progressus noster spiritualis multo melius se haberet, et pax atque ordo in monasterio multo melius servati essent.*»⁴⁶ Haec verba sunt satis clara atque aperta.

Ipsa relatio deinde in duas partes maiores divisa est, nempe primo agitur de opere divino, deinde de disciplinā regulari, quā in sectione deinde agitur de silentio, de spiritū ascetico, de clausurā, de paupertate, de oboedientiā, de caritate fraternā atque de Fratibus, quibus capitulis adnotationes variae subiunguntur.

Multae autem quaestiones speciales hac in relatione tractantur. Tamen etiam quaedam problemata generalia tanguntur, quae nostra intersunt. Sic in capitulo de silentio visitator admonuit «*fortasse maximum malum archiabbatiae atque causam principalem difficultatum esse satis mancam observationem silentii.*»⁴⁷ Nam monachos nimis multum locutos esse et itaque eos etiam nimium musitavisse questosque esse atque nimia verba critica protulisse. Hanc condicionem omnimodo esse mutandam. Eo peius vero esse, quod monasterii res internae circumferrentur ad illos homines, ad quos talia non pertinerent. Sic ex sessionibus quōque internis quaedam in publicum prolata esse. Itaque Superiores rogavit, ut huiusmodi blatteratores severe punirent. Magni quōque momenti visitatori erat oboedientia, quia éadem non satis observata esse ei videbatur.⁴⁸ Nam scripsit nonnullos putare obligationem oboedientiae finiri, cum mandatum quoddam non congrueret cum persuasionibus opinionibusque propriis. Hunc modum esse arbitrarium. Alterā ex parte melius esse, si Superiores etiam in rebus minoribus saepius interrogarentur. Tamen necessarium esse, ut Superiores, apud quos semper responsalitas esset, nullam indulgentiam praeberent, quod attineret ad oboedientiam. Haec sententia imprimis spectabat ad archiabbatem, de quo plures questi erant eum multa concedere, quae alii iam vetuerant.

46 Thomas SPREITER: Visitationsrezeß 1921, p. 2 (ASO, A.3.3.4). - Textus originaliter Theodiscus.

Quod ipse Thomas Spreiter talia verba protulit, nobis, qui eius modum agendi interea paululum cognovimus, fortasse ad subridendum ducit.

47 Thomas SPREITER: Visitationsrezeß 1921, p. 4 (ASO, A.3.3.4). - Textus originaliter Theodiscus.

48 Cfr Thomas SPREITER: Visitationsrezeß 1921, p. 7 (ASO, A.3.3.4).

Scitū etiam digna sunt ea, quae de caritate fraternā dicuntur. Hōc in conexū iterum ea suscipiuntur, quae in capitulis de silentio atque de oboedentiā iam apparent. Nam scripsit visitator haec: «*Ubi multi sermones habentur atque silentium rumpitur, ibi etiam multum mussitatur atque verba critica proferruntur, et ubi multum mussitatur, ibi etiam multum contra caritatem peccatur.*»⁴⁹ Thomas Spreiter hōc in conexū vituperavit gravia atque dura iudicia de confratribus et de praepositis prolata esse, qui modus non esset salutaris, sed homines amaros atque morosos redderet. Deesse autem apud nonnullos sensum familiae atque sensum communitatis, interdum etiam invidiam atque obrectationes aliorum animadverti. Cum talia essent contra caritatem fraternam et contra perceptionem familiae monasticae, contendendum esse, ut huiusmodi condiciones mutarentur. - Sed haec nunc hactenus.

Thomas Spreiter digitum quidem in quaedam vulnera imposuit et certe etiam recte dixit haec puncta esse causas difficultatum. Sed problema, quod ipse putavit esse fundamentale, nempe archiabbatis modum ducendi, non aperte tetigit.

In fine relationis Thomas Spreiter omnibus gratias agens modo satis miti rogavit, ut in futurum eadem fiducia, quae ipsi visitatori praebita esset, erga Superiores quōque exhiberetur.⁵⁰ Omnia, quae in relatione dicta essent, saluti totius rei et hunc in modum saluti omnium animarum servire, ita ut coniunctio caritatis, quā singuli inter se et cum patre domūs iuncti essent, eo artior fieret. Si quis bene auscultavit, ex his verbis tamen monitionem percipere potuit, quae etiam ad oboedientiam et auctoritatem archiabbatis respiciendam spectavit.

Conclisit autem Thomas Spreiter relationem dicens se spe firmā esse ductum fore, ut archiabbas «*quam diutissime et quam maxime salutariter archiabbatiam administrare posset. Hoc fore, si omnes caritate fideli, piā fraternāque consentirent, ut eius munus grave ei faciliterent, et si ipse manū forti habenas teneret.*»⁵¹ Etiam hic subauditur monitio, quae imprimis ad archi-

49 Thomas SPREITER: Visitationsrezeß 1921, p. 8 (ASO, A.3.3.4). - Textus originaliter Theodiscus.

50 Cfr Thomas SPREITER: Visitationsrezeß 1921, p. 13 (ASO, A.3.3.4).

51 Thomas SPREITER: Visitationsrezeß 1921, p. 13 (ASO, A.3.3.4). - Textus originaliter Theodiscus.

abbatem directa erat.⁵²

Tamen haec verba, quod attinet ad ipsum Thomam Spreiter, erant tantummodo mera spes, cui ipse non confiderat. Nam iam cum Abbati Primati de visitatione peractā referret, subiunxit se, etiamsi archiabbas bonam voluntatem exhibuisset, dubitare, num idem eam ad effectum adducere valeret, cum vis interna ei deesset. Sed sibimet ipsi solacium attulit scibens haec: «*Alterā ex parte etiam cogito Deum, si mutationem vellet, bono tempore successorem quōque misisse.*»⁵³

4.9.6. De quinto Capitulo generali anni 1921ⁱ

Visitatione canonicā transactā alius quōque eventus instabat, qui interea iam praeparabatur. Nam post Capitulum intermedium tempore vernali a. 1921ⁱ habitum⁵⁴ instituendum erat regulare Capitulum generale, quo omnia, quae in Capitulo speciali praeparata erant, definitive decernerentur.

In antecessum autem ab monachis Ottiliensibus iterum postulabatur, ut delegati singularum Congregationis abbatiarum Capitulum generale voto activo instructi participarent. Sententia quidem Norberti Weber hac in quaestione inde ex anno 1920^o non erat mutata et delegatos cum voto activo accire ei non ita placuit,⁵⁵ quā de causā Abbatem Primate[m] rogaverat, ut argumentis validis eum hac in re adiuvaret (id quod idem etiam fecit).⁵⁶ Tamen vehemen-

52 Quamquam verba finalia relationis satis mitia sonabant, tamen Thomas Spreiter in posterum non solum Abbati Primati saepius opprobrio dedit eum illo tempore resignationem Norberti Weber impedivisse, sed etiam variis ex causis in archiabbatem invehi non desiit. - Tantummodo exemplum quoddam est epistula Norberti Weber die 23 m. Ian. a. 1923 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien), quā archiabbas plures res enumeravit, quas Thomas Spreiter causam adhibuit ad invectiones indesinenter proferendas, quamvis nonnulla problemata iam inter Capitulum generale anni 1921ⁱ soluta essent. Scripsit autem Norbertus Weber haec: «*Scio autem eum quietem non esse daturum. Hac in re eum nimis bene novi.*» - Textus originaliter Theodiscus.

53 Cfr Thomae Spreiter epistula die 15 m. Nov. a. 1921 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.3.0.1.4). - Textus originaliter Theodiscus.

54 Cfr supra cap. 4.9.3.1.

55 Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 126 sq. scribit archiabbatem talia desideria non propter ipsas contentiones democraticas non ita aestimavisse, sed potius propter curas, ne Congregatio magis magisque consociationibus missionariis adaptaretur.

56 Cfr Norberti Weber epistula die 29 m. Dec. a. 1920 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien) et Fidelis von Stotzingen epistula die 26 m. Iun. a. 1921 ad Norbertum Weber directa (ASO, K.3.1; ASO, A.2.2.1). - De hac re cfr etiam supra cap. 4.9.3.1., adn. 12.

ti desiderio conventūs sui archiabbas denique cessit et mense Iulio a. 1921ⁱ petitionem ad Congregationem Religiosorum misit, quā rogavit, ut «*pro hoc casu*», id est solum semel et Constitutionum causā, tales delegati concederentur.⁵⁷ Haec licentia Congregationis Religiosorum rescripto diei 14ⁱ m. Iul. a. 1927^o et Abbatis Primatis affirmatione diei 15ⁱ m. Iul. a. 1921^o data est.⁵⁸

Ipsam Capitulum generale in archiabbatiā Ottiliensi inde a die 22^o m. Nov. a. 1921^o usque ad diem 10^{um} m. Dec. a. 1921^o locum habuit.⁵⁹ Eidem praeerat, cum quaestio resignationis interea peracta esset, archiabbas Norbertus Weber. Praeterea ut Superiores participaverunt abbas Placidus Vogel Suarzacen-

57 Leguntur ibidem haec: «*Norbertus Weber, Archiabbas Ottiliensis et Praeses Congregationis Ottiliensis Ordinis S. Benedicti ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit ea, quae sequuntur.*

Orator tamquam Praeses Congregationis in diem 22 Novembris Capitulum Generale convocavit ad redigendas Constitutiones dictae Congregationis. Cum in Ordine Benedictino novum quid sit, ut Congregatio quaedam primum laborem Missiones externas sibi proponat, Constitutiones Congregationis nostrae usque nunc modo definitivo stabiliri non potuerunt. Longiore vero nunc experientia docti didicimus, quomodo opus Missionarium cum vita monastica coniungendum sit, quod quidem Constitutionibus stabilendum erit. Quod cum omnium monachorum Congregationis maxime intersit, supradictus Orator singulos monachos invitavit atque admonuit, ut quid sibi videatur, unusquisque manifestaret. Nihilominus cum res sit tanti momenti haud ineptum esse videbatur, si ex singulis Abbatibus seu Conventibus praeter Praelatos etiam monachi Capitulo Generali interessent. Quibus ex causis de consensu omnium Congregationis nostrae Praelatorum Orator Sanctitatem Vestram enixe rogat, ut benigne concedere dignetur, ut pro hoc casu proximo Capitulo Generali praeter Abbates et Superiores Missionum (Vicarius et Praefectus Apostolicus) etiam Secretarius ab unoquoque horum Capitularium designatus cum voce deliberativa intersit ac praeterea ex unaquaque Abbatia unus monachus sollemniter professus et in sacris constitutus et a Conventu suffragio absoluto electus cum voce activa admittatur.» (ASO, K.3.1). - Textus originaliter Latinus.

58 Uterque textus infra petitionem exhibetur (ASO, K.3.1). - *Cfr* etiam Viktor DAMMERTZ: Die Leitgedanken bei der Redaktion der Konstitutionen unserer Kongregation. *In*: Leuchter I (1979), p. 364; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 127 ad epistulam Norberti Weber in archivo Sancti Anselmi asservatam referens scribit archiabbatem Abbatem Primatem rogavisse, ut id impetraret, ut secretarii quoque votum activum acciperent. Hunc in modum statum abbatum Superiorumque fortiorem reddere voluit. Tamen - sicuti in ipsa petitione rogatum est - secretarii tantummodo votum deliberativum acceperunt.

59 *Cfr* Chron. Ottil. m. Nov. a. 1921 usque m. Febr. a. 1922; Viktor DAMMERTZ: Leitgedanken. *In*: Leuchter I (1979), p. 364; Godfrey SIEBER: The Benedictine Congregation of St. Ottilien. St. Ottilien 1992, p. 159; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 159; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 128.

sis, abbas Coelestinus Maier Swickersperchensis, episcopus Thomas Spreiter, Praefectus Apostolicus Lindiensis Villibrordus Lay, et hac vice etiam abbas episcopus Bonifatius Sauer ex Corea advenire valuit.⁶⁰ Unusquisque



Capitulares praelati, qui Capitulo generali anni 1921ⁱ interfuerunt.

Sedentes (a sinistris): episcopus Thomas Spreiter, archiabbas Norbertus Weber, abbas episcopus Bonifatius Sauer.

Stantes (a sinistris): abbas Placidus Vogel, Praefectus Apostolicus Villibrordus Lay, abbas Coelestinus Maier.

[Ottiliense archivum imaginum.]

praelatus secretarium accivit, qui erant P. Petrus Wachter, P. Hugo Reinhardt, P. Cyrillus Wehrmeister, P. Severinus Hofbauer, P. Albertus Betz et P. Rochus Schroth. Denique delegati quattuor abbatiarum Congregationis erant participes, ex quibus erat P. Benno Heckel delegatus archiabbatiae Ottiliensis, P. Rudolphus Reiser delegatus abbatiae Suarzacensis, P. Chrysostomus

60 Bonifatius Sauer in epistolā die 22 m. Iul. a. 1921 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.9) iam annuntiaverat se ad Capitulum generale venturum esse, cum imprimis Patres Seulenses ab abbate suo ibidem repraesentari vellent. Eis enim agi de Constitutionibus, quas nullo modo tales esse vellent, quales anno 1920^o exaratae essent. Ceterum ipse Bonifatius Sauer cum archiabbate de variis quaestionibus colloqui desideravit. Praeterea ei in animo erat missionarios petere, quibus valde indigebat. Scitū autem dignum est eum hōc in conexū subiunxisse «*in abbatia Suarzacensi nimis multos Patres sedere*» et «*Congregationem esse pro missionibus exteris*» (hōc verbum in ipsā epistolā sublineatum est).

Schmid delegatus abbatiae Seulensis⁶¹ et P. Augustinus Mayer delegatus abbatiae Swickersperchiensis.⁶²

Primarius scopus Capituli generalis scilicet erant Constitutiones, quā de causā singulis in sessionibus declarationes atque statuta diligenter tractabantur. Tamen in Capitulo speciali anni 1921ⁱ res tam bene iam praeparata erat, ut textus illo tempore exaratus solum paucis parvisque mutationibus factis ab participibus Capituli generalis comprobaretur.⁶³ Itaque capitulares unanimiter



Omnes participes Capituli generalis anni 1921ⁱ.

Sedentes (a sinistris): abbas Placidus Vogel, episcopus Thomas Spreiter, archiabbas Norbertus Weber, abbas episcopus Bonifatius Sauer, abbas Coelestinus Maier.

Stantes (a sinistris): P. Rochus Schroth, P. Augustinus Mayer, P. Cyrillus Wehrmeister, P. Severinus Hofbauer, Praefectus Apostolicus Villibrordus Lay, P. Albertus Betz, P. Petrus Wachter, P. Chrysostomus Schmid, P. Rudolfus Reiser, P. Hugo Reinhardt, P. Notker Mannhart, P. Benno Heckel, P. Chrodegangus Hartmann.

[Otiliense archivum imaginum.]

61 Thomas Spreiter in diario suo (28.9.1921) adnotavit P.rem Chrysostomum Schmid secundo scrūtinio suffragiorum electum esse delegatum pro Capitulo generali et subiunxit hanc fuisse contentionem virium ad aliquam futuram electionem abbatis spectantem. - Generaliter condicionem verisimiliter non falso diiudicavit, sed relatio Thomae Spreiter hōc locō sonat tamquam P. Chrysostomus Schmid delegatus archiabbatiae Otilienses electus esset, cum revera delegatus abbatiae Seulensis redditus est.

62 De participibus Capituli generalis *cf.* eorum subscriptiones in protocollo et in decretis ipsius Capituli (ASO, K.3.1). - Enumerationem etiam exhibet Godfrey SIEBER (1992), p. 159.

63 De ipsis Constitutionibus anni 1921ⁱ *cf.* supra cap. 4.9.3.2.

decreverunt, ut novae Constitutiones quam celerrime Sanctae Sedi ad approbationem septem annorum proponerentur.⁶⁴

Sed etiam quaedam alia statuebantur.⁶⁵ Sic ex. gr. agebatur de studiis theologicis clericorum, quae quidem ut communia in ipsā archiabbatiā transigendā provisa erant, tamen constitutum est eadem etiam in institutis episcopalibus peragi posse, quamdiu propter condiciones nondum aptas talia in propriā domo nondum erant possibilia.⁶⁶ Praeterea non erat nullius momenti, quod decernebatur habitum monachalem pro omnibus monachis fore nigrum, id est etiam Fratres laicos, quorum habitus antea griseus erat, in futurum vestimenta nigra gesturos esse.⁶⁷ Hoc decretum saltem aliquid attribuit ad aequabilitatem Fratrum laicorum magis instituendam. Ceterum alio decreto abbates obligabantur, ut consensum conventūs sive senioratūs peterent, cum in expensis extraordinariis pecunia eroganda summam quandam superaret.⁶⁸ Denique scitū dignum est etiam actum esse de pecuniā, quae ab variis personis institutisque et variis occasionibus pro missione donari solebat. Nam saepe dissensiones exortae erant, quomodo talis pecunia distribuenda esset. Decreto nono atque additamento eidem subiuncto hōc problema componere capitulares conabantur.⁶⁹

Sicuti in fine Capituli generalis constitutum erat, archiabbas Norbertus Weber celeriter egit et mense Ianuario a. 1922ⁱ textum Constitutionum ad

64 *Cfr* Dekrete des 5. Generalkapitels 1921, 1. Dekret (ASO, K.3.1).

Ceterum illa quaestio delegatorum, propter quam antea tot dissensiones atque difficultates exortae erant, inter Capitulum generale etiam solvebatur. Nam suffragio lato maxima pars praesentium, inter quos etiam ipsi delegati erant, contra talem institutionem regularem dixerunt sententiam. De hac re rettulit magno cum gaudio Norbertus Weber in epistulā die 7 m. Ian. a. 1922 ad Fidelem von Stotzingen directā (ASO, Z.1.Asien). Tamen in eius relatione aliquid non omnino quadrare videtur, cum scripserit rem repudiatam esse votis quindecim ad unum, etiamsi Capitulum generale solum sex praelati participavissent. Sed ex reliquis decem participibus sex erant secretarii, quibus revera vox activa non erat, sicut ex rescripto Congregationis Religiosorum atque Abbatis Primatis apparet.

65 Godfrey SIEBER (1992), pp. 159 sq. etiam nonnulla decreta commemorat.

66 *Cfr* Dekrete des Generalkapitels 1921, 4. Dekret (ASO, K.3.1).

67 *Cfr* Dekrete des Generalkapitels 1921, 5. Dekret (ASO, K.3.1). - Subiunctum autem est signum parsimoniae. Nam legitur colorem habitūs tunc demum respici posse, cum omnes copiae pannorum consumptae sint. - Thomas Spreiter in diario suo (22.11.1921) (ASO, A.1.8.1) hōc in conexū doluit, quod cinctum rubrum non esset abolitum.

68 *Cfr* Dekrete des Generalkapitels 1921, 7. Dekret (ASO, K.3.1).

69 *Cfr* Dekrete des Generalkapitels 1921, 9. Dekret (ASO, K.3.1).

Abbatem Primatem misit, ut idem re inspectā Constitutiones ad Congregationem Religiosorum transmittere posset.⁷⁰ Similiter relationem ad Congregationem Religiosorum directam composuit.⁷¹ Rogavit autem - uti iam commemoratum est -, ut Constitutiones ad septennium approbarentur.

Ottiliani ipsi hac vice in Constitutionibus conficiendis mittendisque semet ipsos urgebant, plurimos labores in hanc rem imponebant, celeriter agebant, ut tandem Constitutiones approbatas haberent. Tamen deinde diutius expectare coacti erant. Nam ex Roma nullum responsum allatum est. In initio anni 1924ⁱ Norbertus Weber apud Abbatem Primatem valde questus est atque reclamavit, quod tribus annis postquam missae essent, Constitutiones adhuc nondum approbatae essent, quamvis hōc paulatim urgenter necessarium

70 Cfr Norberti Weber epistula die 7 m. Ian. a. 1922 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien). - Bonifatius Sauer, qui Romam itineraturus erat, textum secum sumpserat. Ceterum Norbertus Weber hac in epistulā etiam explicuit approbationem ad septem annos esse necessariam, quia propter itinera capitularium et propter eorum expensas Capitula generalia non tam crebro fieri possent.

71 Cfr Promemoria 1922 (ASO, K.1.3; ASO, A.2.1.2), ubi in initio leguntur haec: «Norbertus Weber O.S.B. Archiabbas Congregationis Ottiliensis pro Miss. ext. Constitutiones dictae Congregationis auctoritati S. Sedis apporbandas supponens haec quae ad cognoscendam Congregationem eiusque Constitutiones spectat addere audet.» Sequitur brevis descriptio historiae Congregationis Ottiliensis atque statūs praesentis. Denique sub numero IV agitur de Constitutionibus, de quibus adnotantur haec: «Congregatio Ottiliensis ab initio suo Constitutiones Congregationis Beuronensis a S. Sede approbatas suas faciebat. Quibus Constitutionibus pro operibus apostolicis in Missionibus adiciebantur quaedam normae a S. Congregatione de Propaganda Fide die 16. Iulii 1897 approbatae. Quae Normae ab iteratis Capitulis Generalibus revisae ac emendatae a S. Congregatione de Propaganda Fide die 2 Septembris 1906 pariter sunt approbatae. Interim in dies magis instabat necessitas uniendi atque redigendi omnes istas praescriptiones in unum corpus Constitutionum. Opus hoc in Capitulo Generali a die 22 Nov. ad diem 10 Dec. 1921 in Archiabbatia Ottiliensi habito feliciter ad finem perductum exstet praesentibus approbationi S. Sedi submittitur. Notare iuvat praesentes Constitutiones quoad substantiam continere approbatas Congregationis Beuronensis Constitutiones necnon supradictas S. Congregationis de Propaganda Fide dispositiones et normas, accomadatas quidem dispositionibus novi C.I.C. necnon exigentiis Missionum, magistra experientia multorum annorum. Quapropter humillimus Orator a Capitulo Generali de anno 1922* supramemorato iussus Sanctitatem Suam rogavit, ut Constitutiones in hoc Capitulo Generali compositas approbare dignetur.» - Textus originaliter Latinus.

*) Hic in documento per errorem «1922» scriptum est, ubi scribendum erat «1921».

esset.⁷² Denique die 30^o m. Nov. a. 1924^o approbatio - et revera ad septem annos - allata est⁷³ et Ottiliani primas Constitutiones officialiter validas habuerunt.

4.9.7. De internis eventibus sequentibus

Postquam anni anteriores propter varias multiplicesque difficultates actionesque aliquatenus perturbati erant, videtur Capitulo generali anni 1921ⁱ transacto spatium temporis paulo tranquillius incohatum esse, quod attinet ad archiabbatiae condiciones internas.

Propter votum sibi positivum, quod in visitatione canonicā prolatum est et quo monachi Ottilienses eum archiabbatem retinere voluerunt, vires Norberti Weber - saltem ad tempus quoddam - auctae sunt et denuo impulsūs internos accepit.⁷⁴ Praeterea - id quod illo temporis momento bene quadrabat - archiabbas Norbertus Weber propter opera sua scripta ad missionem spectantia ab academicā facultate theologicā studiorum universitatis Monacensis doctoratū theologiae honoris causā ornatus est.⁷⁵

Tamen decursū temporis animadvertebatur maximam copiam laborum paulatim supra vires archiabbatis fuisse. Non iam satis multum otii habuit - vel saltem sic putavit -, quod unā cum conventū suo transegit, et magis magisque se recepit.⁷⁶ Sed alterā ex parte - sicuti iam antea - disciplinam magis liberaliter adhibuit, cum ab singulis interrogatus iterum iterumque plures exceptiones concederet. Non erat id, quod Thomas Spreiter in fine relationis visita-

72 *Cfr* Norberti Weber epistula die 27 m. Febr. a. 1924 ad Fidelem von Stotzingen data (ASO, Z.1.Asien). - Tamen quoad spatium temporis transactum rem paululum exaggeravit, cum revera essent duo anni.

73 Textus huius officialis approbationis subiunctus est Constitutionibus anno 1924^o typis expressis (ASO, K.1.1). - *Cfr* etiam Viktor DAMMERTZ: Leitgedanken. In: Leuchter I (²1979), p. 365; Godfrey SIEBER (1992), p. 189; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 128, qui adn. 255 etiam explicat, cur et quomodo haec retardatio facta sit.


74 Sic etiam iudicat Cyrill SCHÄFER (2005), p. 126.

75 *Cfr* Diploma doctoratūs honorarii (ASO, A.1.8.2). - *Cfr* Chron. Ottil. a festo Pasch. ad medium aestatem a. 1922; Missionsblätter 26, 1922, p. 211. - Hunc honorem etiam commemorat Frumentius RENNER: Norbert Weber. In: Adolf LAYER (ed.): Lebensbilder aus dem Bayerischen Schwaben. 11. Weißenhorn 1976, p. 346; Frumentius RENNER: Mutterabtei St. Ottilien und Entfaltung der Kongregation. In: Leuchter II (²1992), p. 34 adn. 38; Suso BRECHTER: Mönch und Missionar. Erzabt Norbert Weber OSB zum Gedächtnis. In: Katholische Missionen 75, 1956, p. 115; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 126.

76 Godfrey SIEBER (1992), p. 134 adnotat Norbertum Weber contactum cum conventū suo, quem abbas habere debet, amisisse.

tionis exoptaverat sententiā, quae est «*manu forti habenas tenere*». Tamen illis condicionibus postbellicis modus Norberti Weber fortasse aptior erat.

Nonnulli autem Ottiliani, qui alias perceptiones habebant, talibus vicissitudinibus atque condicionibus non satis severis, quas putabant, laborabant. Sic ex. gr. P. Chrysostomus Schmid, qui illo tempore Subprior archiabbatiae erat,



P. Prior Martinus Malter.
[ASO, A.1.8.2]

rogavit, ut in missionem ire sibi liceret. Itaque petitione concessā īdem die 28^o m. Febr. a. 1922^o unā cum quattuor aliis in Coream profectus est.⁷⁷

Etiam P. Martinus Malter,⁷⁸ qui inde ex anno 1904^o munere Prioris archiabbatiae functus est, difficultates internas externasque habuisse videtur.⁷⁹ Sed dicitur īdem ex longā experiētiā suā monasterium continuisse manū tranquillā atque firmā. Talis Prior etiam eā de causā necessarius erat, quia ipse archiabbas propter alias obligationes atque propter itinera in regiones missionarias suscipienda saepius atque diutius non aderat.

77 *Cfr* Chron. Ottil. m. Nov. a. 1921 ad m. Febr. a. 1922; Godfrey SIEBER (1992), p. 138; Johannes MAHR: Erzabt Norbert Weber. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 138; Cyrill SCHÄFER (2005), p. 123 adn. 269.

78 Martinus [*Georgius*] Malter natus erat die 14^o m. Oct. a. 1870^o Erlangae et scholā elementariā superatā munus digitularii didicit. Inde ex anno 1887^o erat sodalis Catholicae Consociationis famulorum Erlangensis atque anno 1893^o consociationi Ottiliensi se adiunxerat. Deinde theologiae studuerat et die 14^o m. Iul. a. 1900^o sacerdotio auctus est. Ab anno 1904^o usque ad annum 1936^{um} īdem munere Prioris functus est. Die 12^o m. Aug. a. 1936^o vitā functus est. - De ipso *cfr* conventūs laudatio funebris (ASO, A.1.8.2); Frumentius RENNERT: Männer, die Gott rief. *In*: Leuchter III (1990), p. 41; Helmut ANZENEDER: Der katholische Gesellenverein in Erlangen. Von der Gründung 1864 bis zur Zwangspause unter nationalsozialistischem Druck. *In*: Erlanger Bausteine zur fränkischen Heimatforschung 40, 1992, p. 239.

79 Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 134 sq. adnotat ad epistulam in archivo Sancti Anselmi asservatam referens, quam P. Martinus Malter die 5 m. Nov. a. 1927 ad abbatem Bonifatium Sauer direxerat, Priorem scripsisse illum annum 1927^{um} propter disciplinam monasterialem magis extenuatam sibi gravissimum in vitā suā monachali fuisse.

Etiamsi archiabbas Norbertus Weber ipse sentiebat vires suas minui,⁸⁰ archiabbatiam Congregationemque variis modis curare earumque incrementum promovere non desiit.⁸¹ Num omnia eodem modo ei contigerint, ac ipse desideraverat, est alia quaestio. Sed magnas curas sentiebat, cum generalem condicionem quoque politicam respiciens de tempore futuro Congregationis cogitaret.⁸² Tamen omnium monachorum labores cottidiani modo solito continuabantur neque sine effectū sineque progressū erant.⁸³ Talia etiam animadvertuntur aucto numero monachorum, qui inter annos 1922^{um} et 1930^{um} ad Congregationem pertinebant.

SIGRIDES ALBERT

[VOX LAT. 197, 2014, pp. 359-377]

80 *Cfr* inter alias ex. gr. Norberti Weber epistolam die 24 m. Iul. a. 1923 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.5), quā scripsit se curis laboribusque paene supprimi, quae condicio paulatim supra eius vires tempusque esset; epistula Norberti Weber die 25 m. Iun. a. 1926 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.5), quā dixit propter onera laborum se de recreatione virium ne cogitare quidem posse; epistula Norberti Weber die 15 m. Apr. a. 1927 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.5), quā scripsit talem contentionem virium vix diu fieri posse et se putare tempus esse, quo alius habenas Congregationis susciperet.

Cyrill SCHÄFER (2005), p. 126 putat ex viribus paulatim deficientibus etiam explicari posse, quod Norbertus Weber illis annis opera litteraria, quorum copia antea satis ampla fuit, conscribere magis magisque desiit. Tamen idem subiungit hoc in conexū respiciendum quoque esse archiabbatem annis sequentibus se magis ad pelliculas recipiendas convertisse.

81 De Congregationis incrementum externum *cfr* infra cap. 4.10.

82 *Cfr* Norberti Weber epistula die 24 m. Iul. a. 1923 ad Thomam Spreiter directa (ASO, Z.3.0.1.5), quā praeter alia scripsit haec: «*Magnis gressibus res deorsum ducunt. Oeconomice solum difficillime nos tenere valemus.* [...] Facere conatus sum, quae possibilia erant; sed pro proximo tempore futuro pessimum timeo. Mihi videtur unā cum calamitate politicā, cui celeriter appropinquamus, etiam de fortunā Sanctae Ottiliae decretum esse. Sortem paene omnium institutionum religiosarum maiorum participabit. [...] Pro dolor paene nullae rationes exstant, quibus collapsui futuro - puto illum Congregationis -, qui eventūs politicos, qui venturi sunt, sequetur, aliquo modo valente praecaveri potest.*» - Textus originaliter Theodiscus. - Hac perceptione Norbertus Weber iterum satis providens se praestitit.

*) Haec sententia spectat ad condicionem totius Germaniae.

83 De horum laborum singulis aspectibus partibusque specialibus *cfr* infra cap. 4.11., 4.12., 4.13.